



**N**icolaus ille à teneris annis operam literis de-  
 dit, & primis rudimētis perceptis Mathema-  
 ticus disciplinis inuigilare cœpit. In primis uerò A-  
 stronomico studio incubuit, atq; in eo adeò profe-  
 cit, ut sua eruditione cunctis innotesceret. Cum e-  
 tiam ex cœli cōstitutione mirabili industria homi-  
 num genituras exactè deliniaret, atq; multoties fu-  
 tura prædiceret, multi principes eum honestis sti-  
 pendijs exornarunt, atq; ut ijs scientijs uacare pos-  
 set, effecerunt. Erat Brucknerus magno corpore  
 insignis, uerùm animo modestissimo. Nam anno  
 1548 Basileæ uixit, atque à comite Vuirtenbergico  
 Georgio liberaliter sustentatus fuit. Itaq; tandem  
 Tubingam uocatus, eas disciplinas docuit, atq; in Astronomicis suo tempo-  
 re nulli secundus extitit. Cum hoc modo insignis esset, tandem sexagenarius  
 obiit, & honestè terræ mandatus fuit. Anon.